

tem in Hannonia esse debebit sine dolo et fraude infra octo dies a tempore receptionis centum milium florenorum predictorum proxime subsequentes, ad progrediendum contra Phillippum et alios imperii et predicti domini regis adversarios et rebelles et ad ipsorum tyrannidem deprimendum dispositus et paratus^a. De residua vero summa florenorum, que ultra ter centum milia florenorum predicta eidem domino nostro imperatori iuxta conventiones secum factas per bonum computum inventa fuerit non soluta, nos dux et marchio supradicti erga dictum dominum regem Anglie promittimus procurare, quod eidem domino nostro imperatori in primo termino solutionis predictorum vel antea de eadem summa plenarie satisfiet^b. Est insuper hoc adiectum, quod omnes et singule littere, per quas idem dominus rex aut quivis alius seu alii eius nomine ad solvendum quascumque pecuniarum summas eidem domino nostro imperatori in quibuscumque terminis iam elapsis fuerint obligati, quod obligationes huiusmodi exnunc viribus vacuentur et nullius penitus sint valoris; aliis confederationibus et convencionibus quibuscumque inter ipsos dominos imperatorem et regem Anglie habitis in suo robore duraturis. Postremo est adiectum, quod si ex parte regis Anglie predicti infra terminum prenotatum bis centum milia florenorum Colonie soluta non fuerint, ut premittitur, sepedictus dominus noster imperator ad progrediendum cum gentibus suis armatis contra Phillippum de Valesio prescriptum ulterius non tenetur. Si vero eadem bis centum milia florenorum debitis termino et loco, ut premissum est, soluta fuerint ac dominus noster imperator infra octo septimanas a die solutionis pecunie prescripte Colonie facte numerandas cum gentibus suis armatis in Franchenfurt venerit, ut promisit, nec adhuc residua centum milia florenorum ex parte sepedicti regis Anglie sunt Colonie deposita, tunc sepedicto domino nostro imperatori licitum erit facere, si voluerit, prout in aliis litteris prefati domini regis in casu consimili Confluencie traditis continetur¹. In cuius rei testimonium presentes conscribi et nostris sigillis fecimus consignari.

Dat. Franchenfurt, duodecima die mensis Marcii, anno dominice nativitatis millesimo trecentesimo trecesimo nono.

a) 'dispositos et paratos' Or. b) Corr. aus 'satisfiaet' Or.

1) Siehe n. LXII.